



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Ab|roganda Missa || Privata Marti-||ni Lvtheri ||  
Senten-||tia**

**Luther, Martin**

**Wittembergae, 1522**

**VD16 L 3619**

Antithesis Episcoporum Christi, & sacerdotum Papisticorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33296**

etana profectum esse. Satis enim monstravit deus in Nabi &  
Abihu dum nollet ignem alienum offerri, quia uehementer detestet Ignis alienus:  
in rebus sacris aliud geri, quia a seipso esset definitum. Sanctifica  
bor ( inquit ) in his qui appropinquant mihi. Quanto magis  
putas indignationem eius accendi, quando non solum piæter  
sed & cœtra præscriptum eius quicquid in sanctis innouatur, & suum  
institutum euacuatur, ubi impius Achaz altare æreum mutat in  
Horologium & altare Damasci ponit in templum domini. Tale  
est quod agitur in Episcopis istis gloriosis & insulatis, quos tan-  
tum abest, ut deus agnoscat, ut nullum genus hominum in ter-  
ra diuinæ maiestati magis aduersum esse possit. Non enim so-  
lum citra dei præscriptam, sed & directe cœtra deum erecti sunt  
& regnant, quod & euidenter & inuictè monstrabo, iis qui scrip-  
turæ credunt. Nam ipsis idolis qui scripturam negant, suis tantum  
decretis credunt, nihil uerisimile dixeris, n simendacia, quæ in  
cordibus eorum uersantur, dicas.

### ANTITHESIS EPISCOPORVM

Christi, & sacerdotum Papisticorum.

Paulus dicit Tit. i. Huius gratia reliqui te in Candia, ut reli-  
qua perfecte corrigas, & constitutas presbyteros per singulas ci-  
uitates, sicut ego tibi constitui, si quis est sine criminе, unius  
uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ. Opor-  
ter enim Episcopum sine criminе esse, sicut dei dispensatorem &c.  
Hic, si credis in Paulo spiritum Christi loqui & statuere, agnosi-  
cis simul statutum diu num esse, ut in qualibet ciuitate sint plu-  
res Episcopi, aut saltem unus. Perspicuum est enim, quod presby-  
teros & Episcopos eosdem facit, eadem autoritate dei, dum di-  
cit, ideo cœstituendos presbyteros per singulas ciuitates sine cri-  
minē existentes, quod à Episcopum oporteat esse sine criminē.  
Presbyteros autem uocat non idola ista rasa & oleata, sed senio-  
res & coniugatos laicos in ciuitate, honestae uitæ & famæ. Hos  
uult Episcopos fieri, plures in qualibet ciuitate, ut dixi ( Græce  
enim clare patet, plures uni ciuitati cœstituendos esse, ubi di-  
cit, κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους. Presbyteros secundum ciuitatem,  
id est, ubi ubi ciuitas fuerit, ibi presbyteros cœstituas ) Idē Phi-

C iii



Ip. i. Paulus & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cū Episcopis & diaconis gratia uobis &c. Philippi erat unica ciuitas, & tamen plures eius Episcopos salutat. Idem Act. xx. misit ad Ephesum & uocauit presbyteros Ecclesiae ad se, Qui ubi uenerant, dixit ad eos inter multa alia, Attende uobis & uniuerso gregi, in quo posuit uos spiritus sanctus, Episcopos, ut pascatis Ecclesiā dei, quā acquisiuit sanguine suo. Ecce Ephesus quoq; una ciuitas erat, & presbyteros seu seniores in ea Ecclesia, Episcopos appellat, plures a spiritu sancto constitutos.

Quid aduersus hæc tria coelestia fulmina potestis uos locustæ fumose putei abyssalit? Per Christum te oro, Christiane lector, nihil te moueant Cardinalium, Episcorum, Paparū insulæ, pilei, mulæ, familiæ, gemmæ, aurū, purpura, & uniuersas ille fastuosissimus impiorū hominū fastus. Paulo, in mo spiritui sancto crede, nō sunt illi Episcopi, sed idola, larvæ, monstra & portenta ire dei. Episcopos audis hic diffiniri, uiros cōiuges & honestos in una ciuitate, quotquot necessarii sunt ad curandū populu eiusdem ciuitatis. Hæc diffinitio nō Ecclesiæ, non Concilioram, non patrum, non deniq; lupanariū istorum prostitutissimorū Parrhisieū & Louanię, sed spiritus sancti, sed Ihesu Christi, sed diuinæ maiestatis est, aduersus quā, si uniuersi angelī de cœlo, cū tota creatura saperent, quid obsecro te deberet mouere? Nonne ceu inane arboris foliū eorum uerba deberes aestimare, præ uerbis his aeternæ maiestatis. Nunc cū ei aduerserentur non nisi fœda Simiæ & meræ larvæ hominū, nō minus indecora quā impiæ, inutilissimū scilicet hominum chaos, quod uix idoneū est, ipsas larvas Episcopales gestare, quid est, quod eos aut paukas aut mittere? ac nō potius ceu labes & maculas orbis terrarū ducas (ut Petrus eos appellat) cum uniuersis suis pompis, statutis, ritibus, mendacibus & sacrilegis?

Adeste ergo uos abominabilia monstra terræ & rationē redite, unde & qua autoritate uos estis & uocatimi Episcopi? Spiritus sanctus uni ciuitati plures constituit Episcopos, uos singuli pluribus. Et unus Papa omnibus orbis ciuitatibus Episcopus



esse nititur. Quia autoritate? Nonne ipsius metu Satanæ aduersariis per uos spiritus sancti autoritatib[us] Quid habetis, quod hic mutatis impiae & sacrilegæ lanuæ? Concludimus itaq[ue] cū fiducia, uos iuxta diuinæ literas & decretum spiritus sancti, neq[ue] esse neq[ue] dici Episcopos, sed magis aduersarios & uastatores tam Episcoporum quā decreti diuini de Episcopis constitueris. Estis uero Episcopi uocatione Satanæ & cōstitutione Apostoli eius Papæ, unde & recte uocarmini creaturæ Papæ, nō spiritus sancti. Qua lis creator, tales creaturæ. Nō tremunt adhuc cervices uestræ du rissimæ, dum auditis uos nō modo citra uoluntatē dei, sed im piissime contra uoluntatē dei Episcopos esse? Hoc est, quod ne cogitatis quidem de ullo Episcopi officio, sed animalia uentris & gloriæ duntaxat estis, saginati ad uictimā æterni iudicii dei. Igitur producite & uos aliquod testimoniu[m] de uestro Episcopatu[m]. Quod cū facere nō possitis, nos autoritate spiritus sancti libere pronunciamus, uos esse idola mundi, qui titulo ac nomine Episcoporu[m] uiolenter arrepto, & legitimis Episcopatibus extintis, aduersarii nouissimi sitis Christi & Ecclesiæ eius. Sic nos de uobis & iudicate & sentire cogit spiritus in Paulo Episcopos cōstituens, cū nihil in orbe sit dissimilius & repugnatius Episcopu[m] statui, quā uester larualis & plusquā mundanus status.

Sed ne solus Paulus sic uideatur Episcopos describere audiamus & Petrum. Dicit.i. Pet.v. Presbyteros qui sunt in uobis hor tor ego conpresbyter & testis Christi, passionum & future gloriæ socius. Pascite eum, qui inter uos est gregem Christi, episcopantes non coacte, sed uoluntarie, non turpis lucri gratia, sed prompte, non quasi dominantes in hæreditatibus, sed forma facti gregis, cū uenerit archipastor accipietis immarecessibilem gloriæ coronam. Vides hic presbyteros & episcopantes in uno quoq[ue] gregi eosdē & multos esse debere, per omnē modū quo Paulus dispositus. Quod autē nostra translatio habet, Nō domi nantes in cleris, interpretis incuria fuit, quæ fecit, ut clerū hoc loco intelligent, quos hinc a laicis discreuit impia hominum traditio, cū Petrus uocet hic cleros, hereditates seu substantias, uolēs seniores ecclesiæ tales esse, q[ui] sciat se gregē Christi regere.



non proprias aliquā hæreditatem. Proinde nō dominari sed seruire illis debere. Serui, n.sunt alienæ hæreditatis, id est, Christi, non domini propriatum rerum. Nunc uero Papa cum suis laruis non dominatur modo, sed tyrannisat, grassatur, bacchatur in oves Christi, subiiciēs sibi & res & corpora & animas omnium, robustius illis utens, quā ullus herus suis propriis rebus. Et hoc uocant hodie, pascere oves Christi.

Vtimo Christus Luce.xxii.cōtendentibus Apostolis de maijoritate dicit, Principes gentium dominantur eorum, & qui potestatem super eos habent beneficij ( id est, quos nunc gratiosos uulgo uocant ) uocantur, uos autē non sic &c. Hic te lector me diuam constituo iudicem inter Christum & Papam, Episcopos quos hodie principes gentium non queunt imitari præ magnitudine dominationis & opum Christus statuit ut sint, non sic, Papa statuit, ut sint utiq̄ sic. Confer hic principis & uicarii sui uoces. Non sic, & utiq̄ sic, & uidebis, quis Christus & quis Antichristus sit. Et qui sint Episcopi, & qui larvæ Episcoporum. Venobis miseris, q̄ in his iræ nouissimæ temporibus sub talibus laruis, idolis, idiotis, truncis, lupis, pestibus, & monstris nocentissimis, sine Episcopis & presbyteris uiuere imo perire cogimur. Statuimus itaq; autoritate dei, Episcopos Christianos esse viros graues & prouecte aetatis, coniuges, laicos, doctos in uerbo ueritatis, in qualibet ciuitate plures, uel per uicinos coepiscopos, uel a plebe sua electos, quales modo essent, quos uulgo parochos seu plebanos uocat, & capellanos eorum diaconos, nisi per tyrannidem superiorum idolorum missas suas prophanarent, Euangelium tacere cogerentur, celibes perirent, & nullum Episcopi officiū impiere permetterent. Haec est Apostolica sanctio, diuinū decreta, Spiritus sancti ritus ordinandū Episcoporum. Quales fuere, S. Spiridion, Cyprianus, Augusti. Ambrosius. At qui nunc super plures ciuitates imperant, nihil tamē faciunt nisi quod aliquando insulam gestant, lapides & ligna aqua conspergunt, fumo consecrant, & campanas tingunt, quia propriis furoribus erecti sunt aduersus decretum diuinū, Satanæ judicia, &c. i aduersari sunt, una cum principe & creatore.



tore suo Papa prope diei destruendi per aduentum saluatoris nostri, Amen. Hæc omnia cū certis, apertis, fidelibus nitanuntur scripturis & uerbis dei, oportet pias conscientias securas & liberas esse ad contemnendū cum fiducia, totū hoc corpus Babylonicum cum pompa & specie sua.

Supereft tertia pars huius Satanici sacerdotii, quod est sylva Monach. & arena monachorū, genus mixtum, nec sacerdotes nec laici nec monachi, ne nihil desit, quod monstrorum ratio postulat sed ex omnibus & singulis confusum. Verū quatenus sunt sacerdotes, ad eos simul pertinent, quæ de sacerdotio, sacrificio & ministerio dicta sunt. Quatenus uero monachi sunt, proprio uolmine opus habent describi cum suis stultis, impiis, impossibili- bus & a nullo unquā seruatis uotis. Ideo ne prolixiores simus, differemus eos in suum tempus, hoc dixisse contenti, Christianum populum esse simplicem, in quo prorsus nulla secta, nulla differentia personarū, nullus laicus, nullus clericus, nullus rasus, nullus unctus, nullus monachus esse debeat, sed sine ullo discrimine omnes uel coniugati uel cœlibes, arbitrio quicq; suo. sicut modo in ciuitibus communitatibus uidemus naturaliter fieri. Episcopi uero seu presbyteri, seu seniores, seu diaconi, prorsus nulla re differre a cæteris Christianis debent, nisi solo officio uerbi & sacramenti. Sicut senator, nulla re differt a ciui- bus suis, nisi officio regendæ ciuitatis. Qui autē sectis introducunt, hanc simplicitatem sciderunt, in laicos & clericos, in rasos & non rasos. Deinde rasos in monachos & sacerdotes. Post monachos in uestes & cibos infinitis modis variatos, similiter & sacerdotes in uarias culturas & dioceſes. Hi sunt qui autore Sata- na, Ecclesiam & scripturam dei uiolauerunt, & astutia serpentina sensus Christianorum corruperunt a simplicitate quæ est in Christo, ut Apostolus ait ad Corinthios. Ideo Episcopi & presbyteri, nullum sectæ nomen habent sed tantū officii. Ut presbyter enim seniorem, Episcopus uisitatorem significat. Ex quibus nunc dignitates & status fecerunt impii & schismatice homines. Paulus alias etiam dispensatores, ministros Christi, seruos dei, prepositos uocat. Hæc satis modo sint de impiis illorum sacer-

D



dotio, sacrificio & ministerio. Ex quibus puto, piam conscientiam satis eruditam, ut si se uideat non esse in legitimo sacerdotio Ecclesiae, quam ocis, ponat hoc Satanicum sacerdotium, & uel euret uero ministerio Episcopi aut diaconi initiari aut rursum laicis similem uitam apprehendere, pro stercoribus habito, illo ficticio caractere, & oleo & raso uertice & uestitu pharisaico, istorum sacerdotum. Non enim deo sed Satanæ sacerdos est, qui eiusmodi est. Ideo nec deo, sed Satanæ pepigit, si quid pepigit, cui nullum pactum fetuari potest, nisi uoles pactum dei uiuentis. Iactent Papistæ, suas longas hastas & breues pugiones, quod Patres corum ex spiritu sancto statuerint has pompas & laruas. Nos contra iactamus Scripturas sanctas, certi, quod spiritus sanctus, sibi ipsi non contra dicit nec aduersatur. Non enim est deus dissensionis sed pacis & unitatis. Cum autem omnia eorum monstrauerimus esse aduersus dei scripturas euidenter, non antea credemus eorum gesta ex spiritu sancto esse quam docuerint, spiritu sanctum sibi ipsi contrarium esse, aut scripturas suas reuocasse. Deinde conuincant, sua ex spiritu sancto esse sicut nos conuincimus ex scripturis, nostra ex spiritu sancto esse. Bullas & ampullas hominum contemnimus, scripturæ ueritatē adoramus & reueremur, quā si ipsi contemnunt, ualeant & soli adorent suas bullas. Qui non est tecum, ait Christus, contra me est, ita nos dicimus. Quod non est cum scriptura, contra scripturam est. At sacerdotia, sacrificia, ministeria, Episcopatus eorum, non sunt cum scriptura, ut probauimus, necesse est ergo contra scripturas ac per hoc contra deum esse. At contra deum uiuere, quis nobis persuadebit?

Eplogus.

Vide itaque Satane astutiam in Ecclesia uastanda, quam pulchre seruatis nominibus sacerdotii, sacrificii, ministerii, contrarias abominationes sub illis inuenit. Scilicet nihil præciosius ecclesia habuit sacerdotio, sacrificio & ministerio, ideo sub horum specie potissimum nocere cogitauit, & profecit per iram dei. Utile enim fuit suum sacerdotium quæstui. Nam dum missa cepit sacrificium esse, facile totius orbis opes ad suum sacerdotium hoc titulo contraxit. Per opes uero aquitiam, superbiam, pompam,



ocia, libidines & omnia illa infanda nefandaq; quæ hodie uideamus inuidare, pleno impetu impulit, donec penitus abolido uero sacerdotio, iam nihil sciret orbis præter Missas & missales sacerdotes, omnibus hominibus uno errore fafis, dum sperant hac una via remissionem peccatorū & introitum regni cœlorum opibus suis emere. Ita secure iam regnat & potitur uictoria, quā quæsluit, & paulatim promovit suo sacrilego sacerdotio, adeo ut multi sancti uiri & electi hunc errorem non solù non intelligerent, sed etiam iuarent uerbo & opere. Sic concidit sacerdotii ueri uirtus, positis loco fide operibus. Euacuata uis sacrificii ueri, sublatis cruce & passionibus, & accepto ocio ac pace, extincta gloria ministerii, erecto idolo humanarum traditionum. Et impleta est prophetia Pauli, quā prædicta est. ii. Timo. iii. Hoc autem scito, quoniam in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, Erant enim homines sui amantes, auari, superbi, elati, blasphemati, parentibus inobedientes, ingratiti, rerum sacrarum incurii, sine affectione, sine federe, criminatores, incontinentes, immates, bonorum negligentes, proditores, proterui, tumidi, cæci, uoluptatum amantes magis quā dei, habentes speciem pietatis, uitatem autē eius abnegantes, Et hos deuicta. Ex iis enim sunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, ductiles uariis desideriis, semper discentes, & nunquā ad scientiam ueritatis peruenire potentes. Quemadmodum autem Iannes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistuerunt ueritati, homines mente corrupti, reprobri ad fidem, sed ultra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.

D ii

